

**Dissertatio medica inauguralis, de carcinomate ... / eruditorum examini
subjicit Joannes Mackenzie.**

Contributors

Mackenzie, John, 1803-1886.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat Duncanus Stevenson, 1824.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/v753s35x>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CARCINOMATE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CARCINOMATE

QUAM

AVVHENTR SUMMO HONORE

XX AUGUSTATE REVERENDI ALEXANDRI ALEX.

D. GEORGI BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGHAE PRAELECTI

MEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO

Ido Graeco Doctoris

SUMMISSQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

CARCINOMATE

IOANNES MACKENZIE

SCOTUS

ROC REG. MED. EDIN. SOC.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis

Woodforde Esq

with the author's sincerest
wishes for the future happiness
of his fellow student

(1.) Tracts 1679

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CARCINOMATE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,


RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES MACKENZIE,

SCOTUS,

SOC. REG. MED. EDIN. SOC.



Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT DUNCANUS STEVENSON,

Academiae Typographus.

MDCCCXXIV.

44

DISSERTATIO MEDICA

IN AUCTORITATE

SUMMO-TIRO

JACOBO ROBERTO GRANT, M. D.

EDUITI BACCALARIUS

CELEBRARIUM ORDINIS GUELPHICI, ET

O. GEORGI BAIRD, M. D.

SANCTAE ANNAE IN RUSSIA, EDUITI

DIVISIONIS MEDICAE COPULARUM NUPER
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICO-CONSULIS

ET NUPER HONORARIUM DUCIS WASHINGTONIARUM

IN TERRIS EUROPAE BELLOM UPHENIUM

INSPECTORI GENERALI ET PRAESIDI
RITUS DE LEGITIME CONSPICENDIS

8vo. 80c.

JOHANNES MACKENZIE
HOC OPUSCULUM

2014 REPERT OBSERVANTIA ATQUE HONORE

D. D. D. DUE

AUCTOR

EDINBURGH

WILLIAM BURGESS STEVENSON

MDCCCXIV



SUMMO VIRO,

JACOBO ROBERTO GRANT, M. D.

EQUITI BACCALAUREO;

CELEBERRIMI ORDINIS GUELPHICI, ET

SANCTAE ANNAE IN RUSSIA, EQUITI;

DIVISIONIS MEDICAE COPIARUM NUPER,

SUB NOBILISSIMO DUCE WELLINGTON,

IN TERRIS EUROPÆIS BELLUM GERENTIUM,

INSPECTORI GENERALI ET PRAESIDI,

&c. &c.

HOC OPUSCULUM,

QUA DECET OBSERVANTIA ATQUE HONORE,

D. D. D. QUE

AUCTOR.

SUMME VIRI

JACOBO ROBERTO GRANT M.D.
DISSERTATIO MEDICA
DE

CAUSIS, SYMPTOMATIBUS, ET
CURA

CAUSAE ANAE IN RUSSIA, EQUITI

CARCINOMATE

SUB ALEXANDRO DUCE WILLINGTON

IN TERRIS EUROPAE BELLIUM GERENTIBUS
In seligendo Carcinomate pro argumento Disserta-
tionis meae Inauguralis illud praecipue mihi propo-
suit, colligere, quasi in punctum, varias opiniones
quas vari scriptores de hoc malo protulerunt; ne-
que enim, etsi non paucas exempla ejus ipse vidi,
tanta est haec morbi frequentia, ut possim spe-
rare me aliquid novi allaturum esse. Totum argu-
mentum autem in duos capitula dividam: ita ut in
primo de Carcinomatis signis; in secundo de Modo
Discernendi inter hoc vitium aliisque similibus; in ter-
tio de Causis; et in quarto de Curatione Carcino-
matis, ordine dicam.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CARCINOMATE.

IN seligendo Carcinomate pro argumento Dissertationis meae Inauguralis illud praecipuè mihi proposui, colligere, quasi in punctum, varias opiniones quas varii Scriptores de hoc malo protulerunt; neque enim, esti non pauca exempla ejus ipse vidi, tanta est hucusque experientia mea, ut possim sperare me aliquid novi allaturum esse. Totum argumentum autem in quatuor capita dividam: ita ut in *primo* de Carcinomatis Signis; in *secundo* de Modo Discernendi inter hoc vitium aliaque similia; in *tertio* de Causis; et in *quarto* de Curatione Carcinomatis, ordine dicam.

CAP. I.

DE CARCINOMATIS INDICIIS.

Tot modi sunt in quibus Carcinoma humanum corpus aggreditur, ut difficillimum videatur accuratam descriptionem ejus ab initio ad finem dare. Commodè autem dividitur in duas conditiones, quarum prior occultum carcinoma sive scirrhus vocatur, posterior autem carcinoma apertum sive exulceratum: a priore igitur incipiam.

SECTIO I.—*De Occulto Carcinomate, sive Scirrho.*

Secundùm *Pearson* scirrhus durus tumor est, sine sensu, situs plerumque in parte glandulosâ, et sine magnâ mutatione coloris cutis. Ut procedit autem morbus, figura tumoris inaequalis fit, dolorem movet, et cutis subpurpurei vel plumbei coloris redditur; neque rarò venae partis varicosae

fiunt. Vulgaris quidem definitio scirrhi est tumor durus et dolens, in parte glandulosâ, qui ad carcinoma spectat : verùm hæc definitio parum constans esse videtur. Neque enim ullus tumor interdum in scirrho est, sed pars potiùs imminuitur quàm adaugetur ; neque durities proprium signum scirrhi haberi debet, quia plures alii tumores quoque durissimi sunt. Neque quidem morbus semper partem glandulosam afficit, siquidem non modò scirrhus alias texturas infestare videtur, sed etiam multi duri tumores ipsas glandulas afficere solent, qui nullo modo scirrhosi sunt. Fortasse optima definitio scirrhi est durities morbosa partis alicujus, saepius autem glandulosae, quae ad exulcerationem carcinomatosam proclivis est, quaeque minùs facilè recedit quàm ulla alia durities ; etsi fortasse cutis nunquam exulceratur, et ipsa durities interdum imminui potest.

Scirrhus distat ab aliis tumoribus maximè quòd minùs mobilis, magisque durus, esse solet ; cutis quoque, ut procedit malum, discoloratur et corrugatur. In scirrho mammae tota mamma quidem cum tumore moveri consuevit. Interior structura autem scirrhi firma admodum est, et plerumque cum

septis membranosis, interdumque cum cartilagine, commixta. Color ejus subfuscus est; atque ex centro, quod durissimum est, radii quasi quoquo-versum tendunt, qui intersecantur aliis lineis, ita ut rete quasi fiat, intra quod materia cartilaginosa posita est.

Haec igitur forma scirrhi est initio: postea quam verò ingravescit malum, structura ejus magis uniformis est, septaque membranosa ita inter se coëunt ut centrum vix nunc discerni possit. Haec autem septa, sive funes, maximè proprium signum scirrhi faciunt, sed non videntur nisi ubi tumor inciditur. Procedere solent satis altè in vicinam adipem; Chirurgique summam operam dare debent, in exsecando scirrho, ut hi funes quoque exsecentur, quoniam morbus iterum facilè ex iis nascitur. Quidam auctores dixerunt exiguas cystas interdum in scirrhis reperiri; verùm hi nullo modo perpetui sunt, atque ita *Burns* affirmat se nihil tale in tumoribus scirrhis unquam invenisse, putatque istas cystas nihil aliud fuisse nisi exiguos abscessus, cum foris cartilagenosis, qui in hoc malo frequentissimi sunt.

SECTIO II.—*De Carcinomate Aperto, sive Exulcerato.*

Antequam scirrhus exulceratur, cursus ejus tardus est; postea verò summâ celeritate extenditur. Exulceratio fere incipit ab humore effuso ex scirrho, qui super cutem colligitur, eamque erodit, crustamque facit; et, secundùm *Howard*, summa cura adhibenda est ne haec crusta cadat, quoniam hoc modo dolores aegri retardantur. Quaecunque autem cura adhibita fuerit, crusta seriùs ociùsve cadit, ulcusque formatur; et id saepe accidit, antequam tumor magnus factus est. Hoc modo cavum fit, unde humor corruptus foetidusque fertur, et ulcus asperum et inaequale nascitur, cum oris crassis durisque et vehementer dolentibus. Interdum crebri fluxus sanguinis ex hoc fiunt, unde homo plurimùm conficitur; quòque celerius procedit ulcus, eò majus periculum affert. Granulationes, ut vocantur, saepe se ostendunt a summâ parte ulceris, quasi id ad sanitatem spectaret; verùm hae in substantias fungosas et sordidas citò degenerant. Ante

exulcerationem quidem valetudo hominis non multum affici solet ; postea verò accedit nausea, cum vomitu aliisque signis dyspepsiae, saepeque ab initio exulcerationis valetudo subito conquassatur, idque magis quò celerius morbus procedit. Nullum certum tempus est in quo morbus cursum suum implet, interdum enim summâ celeritate, interdum lentè admodum procedit, neque rarò penè ex toto consistere videtur.

Ad finem morbi Febris Hectica plerumque accedit, aegerque summis cruciatibus, cum lancinantibus doloribus in parte corruptâ, vexatur, hique dolores penè perpetui sunt. Facultates mentis nunc affici solent, homoque saepe desinit esse conscius conditionis suae. Accedit summa imbecillitas, secretiones quoque plurimùm vitiantur, ut evidens est ex assiduâ diarrhoeâ, et ex mutato colore cutis, quae plerumque flavi vel plumbei coloris fit, et homo tandem, tot malis oppressus, ab iis morte liberatur.

Partes autem quae saepissime Carcinomate afficiuntur sunt mammae et uterus in foeminâ, in viro autem penis atque testiculi; interdum quoque mammillâ viri hoc morbo infestatur, cujus rei duo exempla a Cl. Heberden narrantur. Afficit quoque labra, linguam, oculum cum glandulis miliaribus, aliasque partes in utroque sexu, ita tamen ut foemina ei longè magis obnoxiae sint. Visum est quoque carcinoma super pericranium, in interiore parte femoris, et ad umbilicum; quinetiam perpaucae partes ab eo ex toto tutae sunt, siquidem membranae et mucosae et serosae, nares, gula, ventriculus, vesica, intestina, maximèque rectum, atque ipsa materies cellulosa in tumoribus saccatis, interdum ita afficiuntur. Secundùm Roux quidem, morbus, ubi haec organa vexat, initio semper in membranâ mucosâ nascitur, et certè serosae membranae quàm mucosae longè difficiliùs affici videntur; id quod evidens est in scirrho pylori, qui saepe diu existit antequam peritoneum implicatur; itemque in scirrho testiculi, sub quo tunica vaginalis non nisi ad finem morbi morbum accipit. Ex omnibus

autem partibus corporis vasa sanguifera difficillimè carcinomate affici videntur ; interdum enim arteriae paene illaesae reperiuntur, in mediâ massâ carcinomatosâ, ubi ceterae omnes partes plurimùm corrumpuntur, id quod manifestum est ex crebris profusionibus sanguinis quae tunc accidere solent. In carcinomate ossa carie afficiuntur ; dicunturque magis fragilia quàm pro naturâ reddi, verùm hoc minùs certum est. Ubi mamma hoc malo implicatur, tota cellulosa substantia super tracheam interdum ita intumet, ut etiam strangulationem moveat ; plerumque verò foemina ex exhaustione, per continuam irritationem, crebrosque fluxus sanguinis, emoritur. Quòd si carcinoma aut in oculo inceperit, aut eò usque ex labris vel facie tetenderit, cerebrum plerumque afficitur, idque interdum vehementer. Putat quidem *Wardrop* id quod vulgò carcinoma oculi vocatur, quodque saepius pueros quàm adultos vexat, non esse verum carcinoma, sed potiùs fungum haematoden. Verùm nullus finis est enumerandi omnes diversas species carcinomatis, quae in diversis partibus corporis accidere possint ; et certè talis disquisitio planè contraria esset necessariae brevitati hujusmodi Dissertationum, itaque ad alias res nunc transeundum est.

CAP. II.

DE MODO DISCERNENDI INTER CAR-
CINOMA ALIAQUE VITIA.

Quoniam multa mala sunt, et mammarum et aliarum partium corporis, quae non rarò cum carcinomate confunduntur, non alienum esse judicavi pauca hìc de discrimine inter haec similia vitia sub-
 jicere. Audimus enim quotidie mira exempla tu-
 morum mammae aliarumque partium, qui putaban-
 tur scirrhusi esse, quique fortasse per se perveni-
 rent ad sanitatem, sanatorum per remedia; quae
 igitur fidem faciunt specificum auxilium carcinoma-
 tis jam tandem repertum fuisse. Plurimùm igitur
 pertinet ad rem cognoscere tales indurationes ad-
 modum frequentes esse foeminis, circa fluxum men-
 struorum; idque maximè, si haec casu aliquo im-
 pedita fuerunt. Hi tumores modò in alterâ, modò
 in utrâque mammâ occurrere solent; sed, quamvis

satis diu interdum remanent ut terrorem faciant, malignae naturae non sunt, neque rarò ex diutinâ compressione, vel ictu, vel attrectatione, proficiuntur. Causa eorum est simplex inflammatio partis glandulae, etsi non rarò pro incipiente carcinomate sumuntur, neque desunt exempla in quibus ferro excisi sunt, etsi plerumque simplicissimâ curatione discutiuntur.

Interdum, sine ullâ evidente causâ, tumores in cursu vasorum lymphaticorum se ostendunt, idque maximè inter mammam et axillam. Hi saepe plurimùm dolent, diuque interdum consistunt; plerumque verò per alterativa, ut vocantur, remedia, et balneum calidum, depelluntur. Praeterea, post acutam inflammationem mammae, quae aut in resolutione, aut in suppuratione finita est, tumor interdum relinquitur, coloris rubri vel subpurpurei, qui ex duritie saepe pro scirrho sumitur; idemque saepe accidit post abscessum ex lactis secretionem, brevi post partum, cum tumores oriuntur qui interdum "milk scirrhi" vocantur, quique, etsi paene pariter duri quàm veri scirrhi sunt, tamen nullam malignitatem habent. Rheumatismus quoque et

podagra irregularis interdum duros tumores mammae movent : hi autem desinere solent simul atque corpus ad sanitatem perductum est.

Superest ut dicam tumores strumosos mammae satis frequentes esse, qui interdum aspectum scirrhi habent, quique, veluti scirrhi, ad exulcerationem postea procedunt. Hi tumores strumosa corpora maximè afficiunt, idque praecipue post trigesimum aetatis annum. Haec species tumorum verum carcinoma alio quoque nomine repraesentat ; nam granulationes eodem modo ad summam partem ulceris se ostendere solent ; quicumque verò historiam morbi rectè explorârit, naturamque doloris et fluxûs considerârit, falli de hâc re non facile poterit : neque multò major occasio erroris est inter carcinoma et eruptiones herpeticas, quae modò mammam, modò alias partes corporis afficiunt ; siquidem hae, admotis idoneis remediis, facilè discutuntur.

Inter haec omnia mala igitur et verum scirrhum diagnosis rectè fieri potest assiduâ contemplatione, non unius alicujus signi, sed omnium simul symptomatum. Prodest certè novisse tot mala oriri posse, quae initio scirrhum quodammodo repraesentant,

quò major spes sit fore ut depellere possimus. Quòd si verò in parte carcinomati obnoxia, in aetate pro-
vectâ, tumor durus oritur, qui idoneis remediis
non solvitur, qui dolores lancinantes movet, quique
per omnes illas conditiones quae in proximo capite
enumeratae sunt, lentè procedit, falli vix possumus
judicando hunc verum scirrhum esse ; idque maxi-
mè, si, manu admotâ, dolor non adaugetur, id quod
in prioribus omnibus malis semper plùs minùs acci-
dit. Hoc igitur inter optima signa discernentia
semper enumerari debet, plurimùmque cum reliquis
signis sumptum, diagnosin adjuvat.

CAP. III.

DE CAUSIS CARCINOMATIS.

Dixi jam Carcinoma saepius accidere aetate pro-
vectiore quàm juvenili, eique foeminas magis ob-
noxias esse quàm viros : hae igitur duae res inter
praecipuas *Causas Praedisponentes* morbi enume-

rari possunt. In foeminis carcinoma saepissime se ostendit circa id tempus quo menstrua fluere desinunt, fortasseque ex aliquâ perturbatione corporis, quae tunc accidit, proficiscitur. Carcinoma rarò puellas afficit; etsi exempla narrantur morbi, non modò in puellis, sed etiam in juvenibus.

Putatum est olim, atque etiam hodie a *Pearson* et *Alibert* putatur, hunc morbum haereditarium esse, non quidem ita ut proles affecti hominis carcinoma necessariò habeat, sed ut ei maximè opportunus sit; et quidem haec pestis easdem familias per plures aetates interdum afficere videtur. Credo illustrissimum virum *Napoleon Buonaparte*, et patrem ejus utrumque ex scirrho pylori periisse. Ex istis rebus verisimile esse videtur certam proclivitatem ad carcinoma a parentibus ad liberos descendere: ubi verò consideramus has observationes factas esse Parisiis (ubi aestimatur quòd, ex septem hominibus qui post vicesimum annum moriuntur, unus certè a carcinomate rapitur) minùs dignae fide esse videntur; quoniam vix dubitari potest quin multi morbi sub nomine carcinomatis a chirurgis Gallicis

enumerati sint, qui ab Anglicis nunquam enumerarentur.

Quod attinet ad *Excitantes Causas* carcinomatis, potest moveri aut ictu, aut collisione, aliâve vi extrinsecus allatâ; saepissime verò morbus sine ullâ manifestâ causâ nascitur, nisi admittimus decessionem soliti fluxûs menstruorum (post quam, ut dixi, morbus saepius accidit) causam excitantem ejus esse. Non facile quidem dictu est quemadmodum hoc accidat; novimus verò tunc temporis summam perturbationem in corpore muliebri fieri, plurimaque mala, quae antea in corpore latuerunt, vel per hunc fluxum ex corpore certis temporibus sublata sunt, nunc primùm se ostendere; et inter haec non minimum certè carcinoma est.

Non rarò accidit ut pars, quae postea sedes carcinomatis est, aut exiguis papulis aut clavis occupetur, idque per longum tempus; neque accedit ullum signum carcinomatis, nisi pars subito ullo casu laesa fuerit, quum carcinoma incipit, summâque celeritate procedit. Hoc saepe in facie occurrit, su-

per quam si diuturna. papula novaculâ forte vuln-
rata fuerit, in carcinoma subito ruit : idemque paene
de longis tuberculis mammae dici potest. Secundum
Sir E. Home, hic morbus ex toto localis est, neque
unquam partem ex toto sanam aggreditur, sed ne-
cessarium est ut pars aliquam corruptam mutatio-
nem prius subierit quàm carcinoma accidere potest.

Ab *Alibert* vehementiores affectus animi carcino-
matis excitantem causam interdum esse existimatur ;
verùm hoc minùs certum est. Satis tamen verisi-
mile est quicquid, in corpore obnoxio, sanitatem
multùm perturbat, id carcinoma movere posse.

Quae sit autem natura, sive *Causa Proxima*, ut
dicitur, hujus mali summa controversia est. Olim
putatum est proprium virus in parte gigni, quod
per vasa absorbentia sublatum est, atque ita per uni-
versum corpus diffusum ; unde existimatum est Dia-
thesin carcinomatosam, ut vulgo vocatur, oriri.
Haec verò opinio hodie paene obsolevit ; neque
enim interdum glandulae absorbentes, in diuturno
scirrho, ex toto afficiuntur ; et contra eadem glan-
dulae non rarò plurimùm vitiantur, ubi morbus in

nascente solùm conditione est. Praeterea si virus, ex carcinomate absorptum, posset generalem aliquam diathesin excitare, verisimillimum est fore ut materia, sumpta ex tali ulcere, aliique corpori admotâ, paria mala efficeret. At *Alibert* aliique saepe inseruerunt in corpora sua portiones materiae, ex carcinomate maximè horribili, sine ullo incommodo; canes quoque coacti sunt eandem materiem devorare, et tamen nullo modo affecti sunt; neque, quod scio, ullus scriptor ullos malos effectus ex hâc materie, quomodocunque admotâ, unquam narravit. Non quidem absimile est quòd, ubi carcinoma aliqujus partis diu persteterit, materia ita in sanguinem absorbetur ut sanitatem plurimùm perturbet, non tamen ita ut propriam ullam diathesin moveat; idque maximè, quia, etsi virus maximè malignum fuisset (quod non esse videtur), tamen ita mutari posset in glandulis lymphaticis, ut nullum generale vitium moveret.

Ex praeceuntibus argumentis videtur carcinoma, secundùm opinionem *Sir E. Home*, morbum ex toto localem esse; sed quae natura ejus sit admodum obscurum est. A quibusdam satis mira opinio

tenetur, quòd vitium proficiscitur ex exiguis vermibus, quae partes vicinas omnes exedunt; neque multò minùs singularis esse videtur sententia Doctoris *Adams*, qui morbum ad hydatides refert. Putat ille, ubi hydatides in solidam substantiam se inseruerunt, eandem lentè consumere; melius autem esse si in unâ cystâ comprehenduntur, quàm si magis per partem diffunduntur, quia priore exemplo faciliùs tolluntur. Contra hanc opinionem satis est dicere, quòd etsi hydatides interdum in tumoribus carcinomatosi reperiuntur, tamen hoc tam rarò occurrit, ut nullam propriam notam facere possit; eademque, ut inquit *Sir E. Home*, si interdum in naturali conditione glandularum inveniuntur, verisimile est fore ut saepius in corruptâ se ostendant. Hae igitur omnes sententiae quodammodo vanae esse videntur; et quamvis alias subijcere possem, vix magis stabiles fortasse essent: ad alia igitur procedo.

C

CAP. IV.

DE CARCINOMATIS CURATIONE.

Curatio carcinomatis dividi potest in generalem et localem ; atque adeo posterioris duae sectiones fieri possunt, prout morbus aut protinus ferro excidatur, aut medicamentis discutitur. Primùm igitur, de excisione ejus, deinde de reliquâ curatione ejus locali ; et denique de generali curatione, ordine dicam.

Constat paene inter omnes auctores quòd, ex omnibus remediis carcinomatis, efficacissimum est *Excisio* ejus, si modò adhibetur antequam morbus penitus insederit. Verum quidem est plurima exempla narrata fuisse carcinomatis aliis remediis sanati ; sed verisimile est, multa ex his aut ex strumosâ diathesi, aut ex aliis causis jam enumeratis, profecta fuisse ; neque scio an unum satis certum exemplum

habeamus carcinomatis medicamentis sublatis. Ut-
cunque verò hoc sit, simul atque scirrhus manifestis
suis signis se ostendit, si est in parte quae excidi
potest, tumorque exiguus est, et habitus corporis
bonus, nemo hodie dubitare potest quin optima cu-
ratio haec sit. Neque enim hodie existimatur, ve-
luti olim, ullam labem corpori inesse, unde morbus
iterum proficisci potest ; itaque haec opinio, quae
praecipuè contraria fuit huic optimo remedio, nos-
tris temporibus parum aut valet, aut valere debet.
Quoties morbus post excisionem renascitur, saepis-
sime accidit, non ex absorpto viro, ut jam dixi, sed
ex portione corruptae materiae in parte relictâ :
quàm igitur necessarium sit, non modò ut medium
carcinoma, sed ut omnes funes qui inde quoquover-
sum extenduntur, tollantur, manifestum erit. Quod
autem scripsit Cl. *Munro* secundus de hâc re plu-
rimùm contulit ad hujus optimi praesidii fidem im-
minuendam : inquit enim “ of nearly sixty cancers,
“ at the extirpation of which I have been present,
“ only four were free from the disease at the end
“ of two years : three of these lucky people had
“ occult cancer of the breast, and one had ulcerated
“ cancer of the lip.” Adjicit quoque quòd, si mor-

bus post excisionem renascitur, etiam citiùs quàm antea ad finem procedit. Quàm diversa autem ea sunt quae, anno 1772, a Cl. *Hill* de hâc re prolata sunt ! qui dicit se octoginta et octo vera carcinomata excidisse, omniaque, praeter duo, ita sanata fuisse. Initio quidem hic clarus vir felicior fuit quàm postea ; ideo fortasse quòd tanta fuit fama ejus, post tempus aliquod, in hâc peste depellendâ, ut plures ei concurrerint, posteaquam mala sua graviora fuerunt, quàm quòd ullo modo discuti possent. Ex omnibus istis igitur credo patebit, hoc optimum praesidium esse, idque eò melius quòd maturiùs, in evidente morbo, admotum fuerit. Proxima excisioni crebra *Missio Sanguinis* ex parte est ; sed hoc plerumque frustra fit.

At medicamenta quae in curando carcinomate plurimùm laudantur praecipuè sunt *Comburentia* ; qualia sunt potassa, nitras argenti, oxydum arsenici, acidaque validiora. Ex his omnibus oxydum arsenici, quod primùm a *Fusch* adhibitum est, optimum esse existimatur, idque est, quo hodie maxime utimur. Ulcus aut aspergi potest eo, commixto fuligine aliisque pulveribus ; vel oxydum arsenici

potest, formâ pulpae, ulceri admoveri, quae citò crustam inducit, ulcusque sanabilius relinqui putatur. Plurima autem mala interdum hunc usum arsenici subsequuntur, atque adeo ipsa mors hoc modo excitata fuisse dicitur.

Carcinoma interdum sponte sanari videtur superveniente gangraenâ ; cujus rei exemplum a *Richard* narratur, in muliere aetatis 45, in quâ scirrhus mammae ita inflammatus est, eaque inflammatio ita ad cutem substantiamque cellulosa extensa, ut tota massa ceciderit, ulcusque (quod duobus mensibus sanatum est) reliquerit. Paria exempla narrantur quoque a *Sir E. Home*, ubi vehemens inflammatio medicamenta adurentia secuta est : quin etiam in illo libro, “ The Edinburgh Medical and “ Surgical Journal for April 1821,” suadet quidam ut gangraena moveatur ipsis candentibus ferramentis. Hoc utrùm responsurum esset dubium quidem est, et plerumque, ut novimus, quicquid adauget inflammationem in carcinomate valde alienum est : in tam pestifero morbo tamen nihil praetermittere licet quod spem ullam facit ; et, si morbus parum commodè vulgaribus remediis curatur, licet fortasse ad ancipitia potius quam ad nulla confugere.

Aliud remedium, quodque nuper maximè laudatum est, carcinomatis *Compressio* est. Hoc primum excogitavit Cl. *Desault*; nunquam verò adhibitum est, donec, apud nos, *Young* plurima exempla protulit carcinomatis feliciter hoc modo curati. *Compressio* admovetur emplastris idoneisque fasciis, sensimque adaugetur; et, si carcinoma apertum est, hoc primum cretâ implendum est, fasciaeque postea superinjiciendae. At experimenta quae a *Young* narrantur plurimum distant ab iis quae in illo *Valetudinario*, "*The Middlesex Hospital*," facta sunt; ubi repertum est propriam naturam carcinomatis hâc curatione non mutari; morbum autem citius ad finem suum spectare, tantumque dolorem ita moveri, ut aegri eum ferre nullo pacto potuerint. Verisimile igitur esse videtur ea exempla quae a *Young* proferuntur, non veri scirrhi, sed similium morborum solùm fuisse.

Quod pertinet ad generalem curationem carcinomatis, medicamenta interna quae in hoc morbo plurimum valent dividi possunt in *Narcotica* et *Corroborantia*. Ex posterioribus praecipua sunt oxydum arsenici, sulphasque et carbonas ferri; ex pri-

oribus, opium, conium, belladonna, digitalis, iisque similia; sed quoniam haec per se parum aut nihil valere videntur in carcinomate discutiendo, non opus esse videtur consumere tempus ea enumerando, actionemve eorum explicando. Sola generalis curatio quae aliquid prodesse a Cl. *Pearson* reperta fuit, est quies, et summa abstinencia, ita ut victus ex lacte paene omnino constet. Haec valere videntur maximâ ex parte inflammationem reprimendo, atque ita cursum morbi tardiores reddendo; verisimileque est eò meliora generalia remedia hujus morbi fore, quò magis hoc conferre possunt.

Per totum cursum carcinomatis aperti opus erit subinde *Cataplasmatibus* emollientibus, et detergentibus *Lotionibus*; quae quidem, simul cum opio intus dato, summam curationis saepe constituunt.

FINIS.



